MASTER NEGATIVE NO. 93-81172-8

AUTHOR:

SCHNEIDER, NICOLAUS

TITLE:

QUAESTIONES SOPHOCLEAE

PLACE:

ARGENTORATI

DATE:

1904

Master Negative #

93-81172-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Schneider, Nicolaus, 1877-
v.1 Quaestiones Sophocleae. Dissertatio inauguralis quam...scripsit Nicolaus Schneider... Argentorati, typis expressit M.Dumont-Schauberg, 1904.
44 p. $22\frac{1}{2}$ cm.

Thesis, Strasburg.

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 3/17/93 INITIALS m.P.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT




AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202








Centimeter



Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.


SIGILLVM · COLLEGII · COLVMBIAE · NOVI · EBORACI
IN LVMINE TVO VIDEBIMVS LVMEN

QUAESTIONES SOPHOCLEAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

NICOLAUS SCHNEIDER

RHENANUS.



ARGENTORATI

TYPIS EXPRESSIT M. DUMONT-SCHAUBERG

MCMIV.

Von der philosophischen Fakultät genehmigt
am 19. Dezember 1903.

PATRIS MANIBUS

S

I.

Ut Sophocles, praestantissimus ille Graecorum poeta tragicus, in fabulis suis componendis id quod propositum habebat consilium summa cum arte ac studio tam personarum ingeniis moribusque descriptis persequi quam disertis verbis ipse saepius indicare solebat, ita etiam in Antigona fabula imagines potissimum virginis regiae et Creontis principis expresse fingens videtur nonnullis locis dilucide ostendisse, qualem summam fabulae sententiam intellectam vellet. Atque inter omnes fere omnium temporum interpretes summam totius tragoediae rationem positam esse constat in illis verbis, quibus quo consilio ad facinus suum impulsa sit, luculentissime Antigona ita explicat, ut suam sibi defensionem paret vv. 450-60:

οὐ γάρ τί μοι Ζεὺς ἦν ὁ κηρύξας τάδε,
οὐδ' ἡ ξύνοικος τῶν κάτω θεῶν Δίκη
τοιούσδ' ἐν ἀνθρώποισιν ὥρισεν νόμους.
οὐδὲ σθένειν τοσοῦτον ᾠόμην τὰ σὰ
κηρύγμαθ', ὥστ' ἄγραπτα κἀσφαλῆ θεῶν
νόμιμα δύνασθαι θνητὸν ὄνθ' ὑπερδραμεῖν.
οὐ γάρ τι νῦν γε κἀχθές, ἀλλ' ἀεί ποτε
ζῇ ταῦτα, κοὐδεὶς οἶδεν ἐξ ὅτου 'φάνη.
τούτων ἐγὼ οὐκ ἔμελλον, ἀνδρὸς οὐδενὸς
φρόνημα δείσασ', ἐν θεοῖσι τὴν δίκην δώσειν.

Apertissime virgo profitetur se subire difficillimum quoddam opus et poenam acerbissimam, quia aeternae deorum leges atque instituta ipsi pluris aestimanda videntur esse quam hominum arbitraria imperia; pie enim colendas esse

illas sanctas leges easque violare nefas. Hisce verbis Antigonam generosam et magnanimam virginem se praestare quis est, quin concedat? At virginis imago, ut ita dicam, plane diversa evadet, si e versuum 904 sqq. sententia ac dicendi ratione indolem eius repetere studebis; sed versus ipsos exscribam, de quibus disputabitur:

. καίτοι σ' ἐγὼ 'τίμησα τοῖς φρονοῦσιν εὖ·
οὐ γάρ ποτ' οὔτ' ἂν εἰ τέκνων μήτηρ ἔφυν,
οὔτ' εἰ πόσις μοι κατθανὼν ἐτήκετο,
βίᾳ πολιτῶν τόνδ' ἂν ἠρόμην πόνον.
τίνος νόμου δὴ ταῦτα πρὸς χάριν λέγω;
πόσις μὲν ἄν μοι κατθανόντος ἄλλος ἦν,
καὶ παῖς ἀπ' ἄλλου φωτός, εἰ τοῦδ' ἤμπλακον.
μητρὸς δ' ἐν Ἅιδου καὶ πατρὸς κεκευθότοιν
οὐκ ἔστ' ἀδελφός, ὅστις ἂν βλάστοι ποτέ.
τοιῷδε μέντοι σ' ἐκπροτιμήσασ' ἐγὼ
νόμῳ, Κρέοντι ταῦτ' ἔδοξ' ἁμαρτάνειν
καὶ δεινὰ τολμᾶν, ὦ κασίγνητον κάρα.
καὶ νῦν ἄγει με διὰ χερῶν οὕτω λαβὼν
ἄλεκτρον, ἀνυμέναιον, οὔτε του γάμου
μέρος λαχοῦσαν οὔτε παιδείου τροφῆς·
ἀλλ' ὧδ' ἔρημος πρὸς φίλων ἡ δύσμορος
ζῶσ' εἰς θανόντων ἔρχομαι κατασκαφάς,
ποίαν παρεξελθοῦσα δαιμόνων δίκην;

Qua oratione Antigona ad causam suam defendendam et quasi excusandam proferre videtur ratiocinationem tam frigidam et ineptam, ut Goethe,[1]) poeta noster illustrissimus, ad hoc dictum sit commotus: „So kommt in der 'Antigone' eine Stelle vor, die mir immer als ein Flecken erscheint, und worum ich vieles geben möchte, wenn ein tüchtiger Philologe uns bewiese, sie wäre eingeschoben und unecht.

Nachdem nämlich die Heldin im Laufe des Stückes die herrlichsten Gründe für ihre Handlung ausgesprochen und den Edelmuth der reinsten Seele entwickelt hat, bringt

[1]) Gespr. mit Eckermann vom 28. März 1827 (III. 128).

sie zuletzt, als sie zum Tode geht, ein Motiv vor, das ganz schlecht ist und fast ans Komische streift.

Sie sagt, daß sie das, was sie für ihren Bruder gethan, wenn sie Mutter gewesen wäre, nicht für ihre gestorbenen Kinder und nicht für ihren gestorbenen Gatten gethan haben würde; denn, sagte sie, wäre mir ein Gatte gestorben, so hätte ich einen andern genommen, und wären mir Kinder gestorben, so hätte ich mir von dem neuen Gatten andere Kinder zeugen lassen. Allein mit meinem Bruder ist es ein anderes: einen Bruder kann ich nicht wiederbekommen; denn da mein Vater und meine Mutter tot sind, so ist niemand da, der ihn zeugen könnte.

Dies ist wenigstens der nackte Sinn dieser Stelle, die nach meinem Gefühl in dem Munde einer zum Tode gehenden Heldin die tragische Stimmung stört, und die mir überhaupt sehr gesucht und gar zu sehr als ein dialektischer Calcul erscheint. Wie gesagt, ich möchte sehr gern, daß ein guter Philologe uns bewiese, die Stelle sei unecht."

Sed iam paucis annis ante Augustus L. G. Jacob[1]) verbis Sophoclis accuratissime examinatis primus difficultates et iniquitates argumentationis strenue et sagaciter detexerat et haec proposuerat (p. 363): 'in his ipsis Antigone querelis versus haud paucos legimus, tam absurdos ad omnemque fabulae rationem tam ineptos, ut eos ego quidem sine dubio adulterinos habeam, ab insipido homine elegantissimo huic poemati mala arte insertos . . . (p. 367) sunt quot verba, tot ineptiae'. Cuius sententiae firmissimum et evidentissimum argumentum viro doctissimo fuit, quod Antigona eadem ratiocinatione utitur, quam Herodotus (III 119) in re haud dissimili Intaphernis uxori tribuit, ut nullo modo possit negari intercedere inter historici narratiunculam et poetae versus certam quandam necessitatem. Denique summam argumentorum faciens Jacob hunc disputationi suae finem imposuit: 'imbecillus homo, quaecumque apud Herodotum invenit, nullo usus iudicio, huic fabulae inseruit'.

[1]) Sophocleae quaestiones, Varsoviæ 1821, p. 363 sqq.

Ac multi post hunc viri doctissimi severius exercentes iudicium hanc fabulae partem graviter reprehenderunt ut languidam ineptam nec tragica sublimitate nec Sophocle dignam. Malum enim artificem Sophoclem haberemus, si ab eo ista crederemus profecta esse, quibus et priores loci omnes ineptissime perturbarentur et ipsius Antigonae virtus admirabilis praeter necessitatem non modo imminueretur, sed plane everteretur.

Nec tamen defuerunt, qui patrocinium loci susciperent. Atque duplicem potissimum viam defensionis hi incedunt et explicationis rationem petunt: alii[1]) in veris ipsorum Graecorum moribus Antigonae sententiam positam esse censent rati aut Graecos in universum tam graves et religiosas illis temporibus mortuorum exequias habuisse aut mulieres Graecas id vinculum, quod sanguinis communione contineretur, intimum et artissimum arbitratas maiore caritate et amore fratres sororesque complexas esse quam maritos et ipsos liberos; alii[1]) poetam rhetorum ratione sophistica usum ad hoc inane et absurdum sophisma confugisse contendunt. Sed ne plura: docti inter se discrepabant et disceptabant incerti, Sophoclis utrum essent versus necne.

Quae dum in utramque partem disputantur, Georgius Kaibel[2]), vir sagacitate et doctrina excellentissimus et in iudicando cautissimus, commentationem omnibus et acerrimi iudicii et elegantissimi sermonis virtutibus insignem emisit, qua opinionem adhuc vulgatam certissimis rationibus refutaturum se esse in exordio pollicitus est: genuina enim et integra esse omnia illa, quae Jacob eiusque asseclae spuria iudicaverint obtinet (p. 3-10); quin etiam ipsis ex iis versibus cum proprium ac verum Antigonae ingenium esse cognoscendum tum summam totius tragoediæ repetendam pronuntiat (p. 10-27). Nam Antigonam ait non esse illam piam et insontem et generosam animam, quae ardentissimo fratris sui amore flagrans et pro deorum aeternis legibus pugnans

[1]) Cf. p. 16, 17.

[2]) De Sophoclis Antigona, Gottingae 1897.

mortem subitura sit, sed potius pertinacem, duram, ad insolentiam paene superbam virginem, Creontis adversariam, quae nonnisi immoderata quadam generis sui superbia elata Labdacidarum honores a regis novicii impetu sit vindicatura. Nihil amoris, nihil teneritatis, nullum esse in ea grati animi vestigium; contra Creontem ut hominem invisum, regem non legitimum, tyrannum iniquum pugnare Oedipi filiam ira atque odio incensam. Quam contemptionem Antigonam cum per totam fabulam tum in nostra oratione prae se ferre, qua germana atque ingenua Labdacidarum filia eaque ultima, cum gentis suae funestam ignominiam toto animo persentiscat, invidiam suam et odium effuderit. Qua ex ratione etiam de ceteris personis aliter ac solerent iudicandum esse; imprimis Creontem in honestatem cedere, quippe qui et civitatis et suum ius contra mulierem sibi infestam et contumaciter obsistentem defendat. Duo igitur ait Kaibel homines contraria volentes, Creontem iuris publici vindicem et Antigonam iuris gentilicii patronam inter se dimicantes poetam finxisse ita, ut uterque sua officia et rationes tuens suam culpam contraxerit.

Atque quo acrius Kaibel in vulgarem opinionem hac sua dissertatione invectus est et quo magis a tradita disputandi ratione recessit, eo minus mirum est brevi tempore complures interpretes exstitisse, qui ab illius sententiis profecti non solum acri studio eas persequerentur et impugnarent, sed etiam novis prolatis argumentis cum de famoso illo loco tum de summa tragoediae disputarent. Quibus quae placuerint, usui videtur esse paucis nunc generatim referre, ut postea de singulis sententiis suo loco insertis, quatenus ad difficultates solvendas iuvent, diiudicemus.

Primus P. Corssen[1]) in medium processit, qui initio dissertationis non tam singula Kaibelii argumenta persecutus est quam ipsam rationem ac viam inusitatam, qua versuum defensor usus esset, breviter reprehendit ac repudiavit (p. 1-5).

[1]) Die Antigone des Sophocles, ihre theatralische und sittliche Wirkung. Progr. d. Prinz Heinrich-Gymn. i. Berlin 1898.

Deinde pergit: non esse probandum, quod Kaibel ex loco isto suspicioso (904 sqq.), quem dubium sit an ille quamvis magno studio usus re vera ab omni adulterinae originis suspicione tutatus sit, consilium institutionem summam denique totius tragoediae deducere constituerit.

Itaque in universum ad vulgarem sententiam iam diu spectatam et probatam reversus eamque denuo confirmare conatus id potissimum egit, ut poetam ostenderet in Antigona tragoedia condenda a fabulis, quae traditae erant, adeo recessisse, ut ad suum ipsius arbitrium et consilium fabulae argumentum informaret. Excoluisse enim Sophoclem fabulam vulgo traditam ita, ut infelicissimae Labdacidarum sortis necessitati non solum filios Oedipi implicatos et debitos faceret, sed etiam Antigonam filiam; id quod summi esse momenti. Summam ergo tragoediae vim et gravitatem ex eo esse petendam, quod Antigona maximo erga fratrem, amore divinarumque legum pietate flagrans capitis periculum subierit et fatum miserrimum sua sponte ferens ac persolvens et pro officiis sanctis pugnans gloriosam mortem oppetierit innocens.

Aurea mediocritate, ut ita dicam, usus est E. Bruhn,[1] cum generatim non tam sententiam Kaibelianam magna subtilitate et elegantia conditam et exacultam detrectaret quam ad illa potissimum animum adverteret, in quibus Kaibel, id quod sibi probare proposuit, excessisse ipsi videretur. Atque praecipue tenendum esse dicit virum doctissimum, cum finem suum immoderato studio persecutus esset, falsa ac praeiudicata opinione occaecatum a recta via aberrasse; quo fieri, ut ille Antigonae et Creontis ingenia ac mores obscuret pervertat confundat, atque adeo tyranno faveat, ut procedente fabula virgo magis magisque spectatoris in invidiam veniat, extrema denique fabula aperte noxia evadat. Nec Creontem ait esse illum virum iustum

[1]) Neue Jahrb. f. d. klass. Altert. 1898. S. 248 ff. — Eiusdem auctoris editio nova Antigonae (Berlin 1904) post hoc opusculum perscriptum demum mihi innotuit.

ac tenacem, fortem ac probum, sed dominum, qui Tiresiae ope ad regnum evectus dignitatis suae eo magis sollicitetur, quo minus se civibus gratum sentiat, eundemque auctoritatem deficientem et maiestatem violatam restituere severitate ac pertinacia studere. Antigonam autem, ut certo non victimam ab omni culpa liberam esse, ita a principio integerrimis rationibus ductam conscientia honestissimi facinoris eripi et, cum causam suam contra illum hominem inferiorem defenderet, spe laudis et remunerationis apud inferos consequendae sustentari; denique deorum voluntati pie et lubenter concedentem voluntarie et alacriter certam sibi sortem solvere; et ne in nostris quidem versibus, qui tantam animi demissionem atque abiectionem redoleant, virginem ira et odio incensam deprehendi. Itaque Bruhn a Kaibelio in eo dissentit, quod ille indolem Antigonae aliter atque hic intellegi vult; contra assentitur fere Kaibelii eorumque sententiae, qui versus 904 sqq. Sophocli attribuunt; esse enim reputandum ait aliam esse nostrorum, aliam fuisse Atheniensium poetarum rationem.

Multis in rebus Bruhnio consentiens S. Reiter[1]) non tanta esse versus illos iniquitate censet, ut spurios eos habeamus necesse sit, quamvis in iis sint, quae dubitationem moveant; quare certam pronuntiare sententiam non licere. Cum alia tum id potissimum urget, quod etiam permultas diversarum gentium et terrarum fabulas Herodoteae illi quam maxime similes mores invenimus, quarum exempla copiose adposuit.

Reliqua est commentatio W. Schmidii.[2]) Qui Corssenium secutus sumit poetam suo arbitrio fabulam composuisse ideoque, ut soleret, rebus et dictis sententiam singularem ac proprium propositum implicasse, quae suae aetatis indoli ac moribus convenirent. Id enim scribit Schmid

[1]) Die Abschiedsrede der Antigone. Ztschr. f. d. östreichischen Gymn. 49. Jahrg. 1898. S. 961 ff.

[2]) Probleme aus der sophokleischen Antigone. Philologus LXII. 1903. S. 1 ff.

Sophoclem spectasse, ut 'rationalismum', quem sophistae qui nominantur secuti sint, aeternis legibus atque deorum institutis oppositum faceret. Atque hoc ex studio poetam personas suas conformasse ita, ut illum tyrannum invalidum, ambitiosum, sui lucri cupidum, suae prudentiae rationisque fiducia superbientem, contemnentem deorum pietatem legumque sanctarum auctoritatem inducat faciatque pugnantem contra Antigonam, quae φιλοδοξίᾳ et εὐσεβείᾳ, praeclarissimis illis Graecorum virtutibus, ducta aerem vindicem et propugnatricem iuris divini se praebeat. Qua ex contentione virginem gloriosam victricem discedere consentaneum esse. Deinde facile esse intellectu Kaibelium ad propositum solvendum mente praeoccupata quaestionem aggressum interdum argumentationem vi quadam instituisse. Inprimis versuum 904 sqq. argumentationi, quam adulterinae originis specie notatam et toti menti et consilio fabulae oppositam esse pateret, nimiam vim eum tribuisse; immo totam orationem esse dubiam et suspiciosam.

Hisce ad quaestionem illustrandam praemissis singula, quae de versibus illis suspiciosis et quae de tota fabulae ratione cum alii tum Kaibel iudicaverint, disputemus.

Ac primum quidem statuendum est locum nostrum si non totum (Ant. 904-21) at ex parte antiquorum scriptorum auctoritate ac testimonio esse traditum et confirmatum.[1]) Quorum primus Aristoteles, cuius fides summa est, v. 911. 912 expresse laudat Rhet. III. 16, 9 (1417a) hoc modo: ἂν δ'ἄπιστον ᾖ (τὸ λεγόμενον), τότε τὴν αἰτίαν (χρὴ) ἐπιλέγειν· ὥσπερ Σοφοκλῆς ποιεῖ· παράδειγμα τὸ ἐκ τῆς Ἀντιγόνης, ὅτι μᾶλλον τοῦ ἀδελφοῦ ἐκήδετο ἢ ἀνδρὸς ἢ τέκνων· τὰ μὲν γὰρ ἂν γενέσθαι ἀπολόμενα

μητρὸς δ' ἐν Ἅιδου καὶ πατρὸς βεβηκότων (pro κεκευθότοιν)
οὐκ ἔστ' ἀδελφός, ὅστις ἂν βλάστοι ποτέ.

Eosdem versus 911. 912 legimus apud Clementem Alexandrinum (III. p. Chr. n. saec.),[2]) quem auctoribus tribus fere

[1]) cf. Reiter l. l. p. 971.

[2]) strom. lib. VI. 2 p. 747 ed. Pott. cf. Reiter p. 972.

saeculis ante florentibus usum esse constat.[1]) Tertius est scholiasta ad Soph. OR. 968: κεύθει | ἀντὶ τοῦ κεύθεται, κρύπτεται. καὶ ἐν Ἀντιγόνῃ (911)· μητρὸς δ'ἐν Ἅιδου καὶ πατρὸς κεκευθότων. Denique ad unum omnes libri manuscripti in verbis traditis fere congruunt, certe non ita discrepant, ut sensus mutetur. Videmus ergo certis auctorum et librorum testimoniis istum locum Sophocli adscribi; quin etiam ex illo Aristotelis loco cognoscimus eis ipsis ex versibus, qui nunc a plurimis viris nostratibus Sophocli abiudicantur (905-12), certe v. 908-12 medio IV. a. Chr. n. s. exemplis manuscriptis fuisse vulgatos; quanquam huic testimonio ne nimium tribuamus, cavendum est. Etenim quarto iam a. Chr. n. saeculo fabulas adeo fuisse foedatas et corruptas, ut Lycurgus orator de nova emendatione Aeschyli Sophoclis Euripidis fabularum sumptu publico et de actione histrionum publice observanda legem ferre statueret, Plutarchus personatus testatur verbis hisce conclamatis (Vit. X Orat. p. 841 E): καὶ τὰς τραγῳδίας αὐτῶν (i. e. Αἰσχύλου, Σοφοκλέους, Εὐριπίδου) ἐν κοινῷ γραψαμένους φυλάττειν, καὶ τὸν τῆς πόλεως γραμματέα παραναγιγνώσκειν τοῖς ὑποκρινομένοις. οὐκ ἐξεῖναι γὰρ ἄλλως ὑποκρίνεσθαι. Quae cum ita sint, Aristoteles non tantam, quantam Kaibel (p. 10) vult, incorruptae integritatis fidem praebere videtur. Potest igitur esse, ut iam ante philosophi aetatem genuina fabulae memoria interpolationibus adulterata sit.

Quo in dubio ut disceptemus, utrum sint veri versus Sophoclei necne, locum ipsum famosum perlustrare et opportunitatem sententiarum et membrorum singulorum nexum considerare et poetae mentem et consilium perspicere oportet. Multae vero nobis occurrunt rationis dicendi et argumentandi argutiae et iniquitates, ut suspicione mota primo obtutu spurios versus iudicare non cunctemur. Quare non mirum, quod viri docti fere omnes versus Sophoclis pariter arte indignos atque ab Antigonae ingenio alienos uno fere con-

[1]) P. Adolphus Scheck, de fontibus Clementis Alexandrini. Programma Gymn. Aug. ad Sti. Stephani. Augustae Vindeliciorum 1889. p. 5 sqq.

centu et consensu iudicabant. Nobis ea prima, quae ab interpretibus vituperata et quaesita quadam subtilitate in medium prolata sunt, recognita et pro viribus aucta vel emendata proponere in animo est, ut vituperatorum iudicia sine ira et studio explicemus; alter locus de defensoribus versuum erit, denique nostram proponemus interpretationem.

Ac primum permultarum huius loci quae monentur difficultatum causa ex eo orta esse videtur, quod poeta Herodoti verba ante oculos habuerit et imitatus sit. Intaphernis enim uxor, cum optio data esset, quem de suis a morte servare vellet, non maritum aut unum de filiis, sed fratrem sibi eligit; et a Dareo rege interrogata, cur non mariti nec filii, sed fratris vitam sibi condonari voluerit, respondet haec: ὦ βασιλεῦ, ἀνὴρ μὲν ἄν μοι ἄλλος γένοιτο, εἰ δαίμων ἐθέλοι, καὶ τέκνα ἄλλα, εἰ ταῦτα αποβάλοιμι. πατρὸς δὲ καὶ μητρὸς οὐκέτι μοι ζωόντων ἀδελφεὸς ἂν ἄλλος οὐδενὶ τρόπῳ γένοιτο. ταύτῃ τῇ γνώμῃ χρεωμένη ἔλεξα ταῦτα (III. 119). Quae ad verba conferre velis Soph. versus 909-12:

πόσις μὲν ἄν μοι κατθανόντος ἄλλος ἦν,
καὶ παῖς ἀπ' ἄλλου φωτός, εἰ τοῦδ' ἤμπλακον·
μητρὸς δ' ἐν Ἅιδου καὶ πατρὸς κεκευθότοιν
οὐκ ἔστ' ἀδελφός, ὅστις ἂν βλάστοι ποτέ.

Verba Herodotea quamvis similia Sophocleis primo obtutu esse et cum Antigonae ratione congruere videantur, tamen, si diligentius inspicies, et a virginis condicione et ab argumentandi ratione, qua illa uti debuit, aliena videbuntur esse. Uxor est Persis et habet liberos et fratrem vivos, Antigona autem virgo et parentes et fratres habet mortuos. Adde argumentandi viam, qua nimis compendiaria Antigonae oratio procedit: non mariti gratia hoc fecissem, nam viro mortuo alium licebat invenire, nec filii gratia, nam si mihi mortuus esset, alium possum ex altero marito suscipere, priorem si amisissem. Ita versus, qua sunt dicendi brevitate, subintellegendos esse patet. Nec difficile cognoscimus Persidem mulierem ista argumentatione uti tam apte

quam Antigonam virginem inepte. Illa enim est declaratura, cur fratrem nec vero maritum filiumve elegerit et servaverit, haec defensura, cur fratri quidem sepeliendo iustos honores dederit neque vero tributura fuerit marito filiove, si essent mortui. Deinde Persis coacta, ut uno propinquo electo reliquos destituat, nihil facit nec dicit, quibus animus noster facile offendatur; adsequitur enim consilium suum, ut eum, quem restitui non posse scit, sibi servet. Antigona vero nullo modo mariti filiive sepeliendi incuriosam se praebere debet; nam parentibus et fratribus mortuis quid lucrabatur mira illa argumentatione, qua frustra suum erga maritum liberosque amorem ipsa detrectabat, commodis vero suis adeo non inserviebat, ut vitam suam nonnisi in summum discrimen vocaret? quod bene explanat Corssen (l. l p. 3) his verbis: ... „welch einen vollkommenen Widerspruch bringt dieser Gesichtspunkt in ihre Reflexion! Gewinnt sie doch durch ihre Mühe nichts; denn ihr Bruder bleibt trotzdem tot, und sie verliert ihr Leben dazu, während es für ihre Pflicht gegen ihre Anverwandten keinen Unterschied macht, ob die Möglichkeit, daß die Gestorbenen durch andere ersetzt werden, besteht oder nicht besteht".

Quibus omnibus rebus fieri non potest, quin virginis argumentatio in absurditatem quandam et inanitatem cedat. Quid enim? Antigona si plures habuisset fratres et uni defuisset, aut si parentes aut maritum vivos habuisset nec fratri mortuo suprema fecisset, nonne ideo sibi visa impia fuisset? Bene quoque moneri censeo eiusmodi sophismata nec huic loco convenire, ubi Antigona iure suo et honesti facinoris conscientia confisa placato quasi animo ad inferos descensura est, nec toti indoli, qualem finxit poeta, fortis et constantis puellae. Etenim per totam fabulam promptam et veram fratris et divinarum legum vindicem virginem se praebere manifestum est. Ubi primum in scenam prodiit, consilii plane sibi conscia fuit et fabula procedente saepius se fratri mortuo inferisque deis pia debita solventem et gloriosum atque honestum et legitimum atque iustum facinus

perpetraturam esse profitetur, de quo ceteros Thebanos celari minime sua interesse (86. 87):

οἴμοι, καταύδα· πολλὸν ἐχθίων ἔσῃ
σιγῶσ', ἐὰν μὴ πᾶσι κηρύξῃς τάδε.

Indignissimum enim habet, quod Ismena se ceteros de sororis facinore promittit celaturam esse (84 sq.), eiusdemque omnes haesitationes et dubitationes respuit indignabunda. Neque poenam fugere studet nec tegit factum suum aut veniam precatur; immo Creonti roganti ipsa aperte et ingenue fatetur:

443 καὶ φημὶ δρᾶσαι κοὐκ ἀπαρνοῦμαι τὸ μή.
448 ᾔδη· τί δ' οὐκ ἔμελλον; ἐμφανῆ γὰρ ἦν.

Divulgandum omnibus esse facinus suum enuntiat, ne laus praeclari consilii sibi surripiatur neve gloria apud homines obscuretur: neque enim sibi quicquam evenire posse nisi mortem honestam (72 καλόν μοι τοῦτο ποιούσῃ θανεῖν); neque gloriosius (εὐκλεέστερον) se posse persequi quam fratris sepulturam (cf. 502-4). Ubicumque occasio est data, Antigona confirmat se quaecumque eveniant pericula ac mala subituram esse fratris causa, sui carissimi et maxime necessarii (cf. 46 ἀδελφόν, 503 τὸν αὐτάδελφον, 48 ἀδελφῷ φιλτάτῳ al.). Praeterea Haemo patrem dehortaturus virginem etiam a populo summis laudibus celebrari v. 692-99 pronuntiat. Quae cum ita sint, fieri non posse nobis videtur, quin Antigona etiam hoc ultimo loco, postquam praeclarissime officia sua praestitit, eandem animi et fortitudinem et sinceritatem et ingenuitatem prae se ferat iisdemque rationibus nobilissimis commotam facinus suum se persecutam esse statuat.

Omnino denique, qualem cogitandi et sentiendi Antigona profert rationem, talem Graecorum moribus et religioni in universum non convenire accepimus. Quod vero dicunt qui contra disputaverunt viri docti Solger,[1] Hegel,[2]

[1]) Solgers nachgelassene Schriften und Briefwechsel, hrsg. von Ludwig Tieck u. Friedrich von Raumer. 1. Bd. Leipzig 1826. S. 164 f.
[2]) Phänomenologie des Geistes, hrsg. v. Johann Schulze. Berlin 1832. S. 340.

Hinrichs,[1]) apud antiquos mulieribus fratres fuisse cariores quam maritos et filios, vellem animum attendissent ad illam caritatem uxoriam, qua Tecmessa (Ai 392 sqq. 518. 519), Deianira (Trach. 102-9), Alcestis, Penelopa, Euandra sanctissimi amoris gloriam et apud Graecos et apud Romanos adsecutae sunt. Neque minus illorum rationi repugnant Herodoti ipsius verba (l. l.); miratus enim Darius de mulieris insolita diiudicatione (θωμάσας τὸν λόγον) interrogat: τίνα ἔχουσα γνώμην (qua ex ratione?), τὸν ἀδελφεὸν εἵλευ περιεῖναί τοι, ὃς καὶ ἀλλοτριώτερός τοι τῶν παίδων καὶ ἧσσον κεχαρισμένος τοῦ ἀνδρός ἐστι. Etiam Aristoteles utitur versibus Sophocleis (911. 912), uti iam supra (p. 14) commemoravimus, ut paradoxis iustas addendas esse causas doceat. Apparet autem ex duobus illis locis et rerum scriptorem et philosophum illas Persidis et Antigonae ratiocinationes plane alienas a mulieris indole et virtute duxisse. Multas ergo esse sententiae et argumentationis difficultates et angustias, quibus versus in suspicionem vocantur, negari non potest. Neque non concedendum ipsam verborum (v. 904-10) adornationem et constructionem solito esse pressiores et contortiores, ita ut poeta adumbrare potius sententias quam res ipsas significare videatur. Balbutientis enim similis est oratio v. 905, ubi legitur εἰ τέκνων μήτηρ ἔφυν, cum ipsa ratione necessario mortuorum liberorum mentio efflagitetur. Non accipio illud, subaudienda talia esse. In istius modi conclusionibus, quarum singula membra parvulo verborum circuitu continentur, omnis argumentandi vis in accurata et propria dictione nititur: aut proprie et plene dicet poeta aut nihil probabit pessimusque evadet scriptor.

Nec tamen defuerunt, qui locum dubium defendere studerent; quorum alii monebant nihil effectum esse sedula Aristarcheorum noviciorum sagacitate; quod inde iam apparere, quod inter illos adhuc neutrum convenisset, neque unde

[1]) Das Wesen der antiken Tragödie in ästhetischen Vorlesungen, durchgeführt an den beiden Ödipus des Sophokles im allgemeinen und an der Antigone insbesondere. Halle 1827. S. 13 ff.

inciperet interpolatoris importuna sedulitas neque quos usque ad fines esset progressa; alii versus nonnisi vi nec sine detrimento orationis deleri posse confirmabant. Kaibel vero, ut iam diximus, eo processit, ut se demonstraturum esse polliceretur singula orationis membra (904-21) tam arto et firmo vinculo inter se cohaerere, ut ne ullum quidem ex cuncta ratiocinatione amovere liceret; integram ergo orationem esse.

Quod ut ostendat Kaibel secutus K. Lehrsium[1]), qui ei visus est orationem a dicendi saltem ratione probabilem restituisse, versus 904-20 omittit. Quo facto ait Kaibel (p. 4) omnem sententiarum continuitatem et nexum plane tolli; nam quaestionem illam (921) ʻποίαν παρεξελθοῦσα δαιμόνων δίκην;ʼ (ʻquanam lege divina violata?ʼ) verbis τοιάδ' ἄρνυμαι subiunctam non posse nisi poenae causam indicare. Quae cum ita sint, primum non esse intellegendum, cur Antigona, quippe quae adeo non deos laeserit, ut regis edicto non oboediens officia erga illos egregie praestiterit, quaerat, quamnam legem oblita tantum supplicium patiatur. Neque singularem quandam et certam legem divinam a se laesam manifestaturam facile cognosci. Aliud igitur dixisse eam putandum esse v. 921: quid dixerit, satis docere versus insequentes 922-24:

τί χρή με τὴν δύστηνον ἐς θεοὺς ἔτι
βλέπειν, τίν' αὐδᾶν ξυμμάχων, ἐπεί γε δὴ
τὴν δυσσέβειαν εὐσεβοῦσ' ἐκτησάμην;

Vehementer enim eam et aperte se miseram et omni spe deorumque auxilio esse destitutam lamentari. Quare ut recte a deis se derelictam queri videri possit, Antigonam supplicii saevitatem describere et qualia sibi ex hac poena mala damnaque eventura sint, pronuntiare debere. Necesse ergo esse, ut in eis, quae antecedunt, de poenae et gravitate et iniquitate questa sit. Neque vero id satis fieri verbis (902. 903)

. . . νῦν δέ, Πολύνεικες, τὸ σὸν
δέμας περιστέλλουσα τοιάδ' ἄρνυμαι,

[1]) Jahrb. f. klass. Philol. 1862. LXXXV, 298.

quibus nonnisi poenam ipsam, quam Creo antea (855) statuerit, brevissime significari. Sed non tam poenam deplorare quam indignari, quod innocens supplicium tam acerbum et grave patiatur. Atque aptissime id fieri verbis, quae tradita sint versibus 916-20:

καὶ νῦν ἄγει με διὰ χερῶν οὕτω λαβὼν
ἄλεκτρον, ἀνυμέναιον, οὔτε του γάμου
μέρος λαχοῦσαν οὔτε παιδείου τροφῆς·
ἀλλ' ὧδ' ἔρημος πρὸς φίλων ἡ δύσμορος
ζῶσ' εἰς θανόντων ἔρχομαι κατασκαφάς.

Sed illam copulam καὶ νῦν postulare, ut alia, quibus illa sint apta, praecesserint, praecedere autem versus 912-15:

τοιῷδε μέντοι σ' ἐκπροτιμήσασ' ἐγὼ
νόμῳ Κρέοντι ταῦτ' ἔδοξ' ἁμαρτάνειν
καὶ δεινὰ τολμᾶν, ὦ κασίγνητον κάρα.

Haec omnia bene et concinne dicta esse nemo non concedet. Atque versum 921 recte explicatum esse, fidem praebent verba insequentia 922-24:

τί χρή με τὴν δύστηνον ἐς θεοὺς ἔτι
βλέπειν, τίν' αὐδᾶν ξυμμάχων, ἐπεί γε δὴ
τὴν δυσσέβειαν εὐσεβοῦσ' ἐκτησάμην;

Iure ergo Antigonam, ut recte dicere possit ʻquid tandem in deos commisi, ut tot mala in me cumulari patianturʼ, antea supplicii saevitatem conqueri expectamus; id quod Kaibel dicit iusto brevius nec satis clare significari per ista τοιάδε κτλ. (903), quibus nonnisi poenam antea a Creonte statutam contineri. At aptissime illa τοιάδε κτλ. excipiunt[1]) non solum regis iussa atrocissima (885), sed etiam virginis ipsius querelas (891 sqq.), quibus se gentis suae infelicissimae sorti fatoque implicatam ac patris matris denique fratrum infausti exitii participem fieri et morte misera et praematura abripi deplorare coepit. Sequitur, ut versus 921 ea instructus sententia, quae a Kaibelio bene comprobata et statuta est, isti pronomini

[1]) et excipere possunt cf. Ant. 913, 700; O. C. 949, 1375; O. R. 244, 295; Ai. 148, 323, 1338 al.

τοιάδε subiungi possit. Ergo non necesse esse iudicamus Antigonam versibus proxime antecedentibus poenae crudelitatem explicate descripsisse, quamquam libenter Kaibelio concedimus id apte et peropportune fieri potuisse.

Pergit Kaibel in hunc modum commentatus: facile cognosci virginem per totam fabulam factum et consilium suum defendere et certam quandam omnis suae rationis normam expetere studere; hanc autem persequi ipsis verbis 904-13, quibus cur acerbissimum supplicium subitura sit, ostendat. Praeclare illud verbum (904) σ' ἐγὼ ἐτίμησα per posterius (913) σ' ἐκπροτιμήσασ' ἐγώ excipi, apte id pro sententiarum, quae intercesserint, necessitate mutatum et auctum. Quod recte sine dubio Kaibel monet; nam Antigona se fratri praecipuum honorem impertivisse professa eandem sententiam iisdem fere verbis et maiore cum gravitate compluribus intermissis verbis cum repetat, iure expectamus eis, quae inter locos gemellos intercedunt, verbis illam explicasse, cur quod perfecit, fecerit. Nimirum inter propositionem et conclusionem vel perorationem explicationi rationis solemnis locus est. Et profecto v. 905-12 iustae rationis speciem manifestam prae se ferunt.

Eodem fere modo J. L. Margrander[1], vir doctus Americanus, de nexu et sententiarum et verborum (904-12) iudicavit argumentatus in hunc fere modum: Antigona, postquam parentibus sua manu suprema officia pie ac rite se persolvisse professa est, pergit (902 sq.) se nunc Polynici eadem praestitisse, sed ob eam rem poenam atrocissimam, cuius paulo infra (916 sqq.) mentionem facit, contraxisse. Et gloriatur in eo, quod perfecit. Quomodo autem fratris iura egregie tutata sit, exponit virgo v. 904-7; dicit ergo: feci, quod nec pro liberis nec pro marito fecissem. Quibus pronuntiatis verbis nihil antiquius Antigona potest habere quam ut se defendat, cum declarat, qua legis vel moris regula, quove supremo iure nisa imperio regis, quod est civitatis (at cf. p. 25),

[1]) Transactions of the American Philological Association 1902 Bd. XXIX p. LXII-LXV: Note on Antigone, vv. 904-912.

neglecto fratrem sepeliverit. Et profecto interrogat (908): τίνος νόμου δὴ ταῦτα πρὸς χάριν λέγω; 'cuius legis gratia haec me fecisse dico?' in quibus ταῦτα significat ταῦτα δρᾶσαι, ita ut pronomen pluraliter elatum excipiat et v. 905-7 et potissimum illud ἐτίμησα[1]). Quam suam ad quaestionem ipsam puellam respondere (909-12) se fratrem liberis maritoque praeferre, quod liberis vel marito mortuis alios habere possit, neque vero parentibus mortuis fratrem; qua ex ratione oportere factum et intellegas et probes. Praecipue vero et illud (904) ἐγὼ ἐτίμησα et hoc (908) τίνος νόμου δὴ ταῦτα πρὸς χάριν λέγω et denique (913) σ' ἐκπροτιμήσασ' ἐγώ inter se excipere et apte sententias intercedentes coniungere. Quid deinde esse probabilius quam Antigonam νόμῳ τινί se purgare studere? Maxima ergo ait Margrander cum probabilitate et opportunitate et verborum et sententiarum argumentationem compositam esse. Qua in re perquam viro doctissimo adsentior; neque enim credere licebit tam certam rationem et conexum tam artum fortuito inter singula membra intercedere. Ipsa ergo sententiarum, quae v. 904-15 continentur, series non est refutanda, quicquid de singularum dictionum difficultatibus, quas modo perlustravimus, iudicas. Haec sunt, quae ad versus 904-12 defendendos Kaibel et Margrander non solum verisimiliter sed vere dixisse videntur.

Iam vero Kaibel, ut toti orationi extremae (905-20) patrocinetur, hanc addit rationem (p. 4): brevem ultra modum deletis versibus 904-20 esse orationem; tantam enim verborum parcitatem tantamque sententiarum ieiunitatem a Sophoclis pariter ingenio abhorrere atque a rerum probabilitate: moriturae enim esse verba et iniuriam sibi factam esse perseverantis. Desiderari poetae artem uberiorem, aegre ferri orationem tam splendide exorsam tam misere cadentem.

[1]) Quodsi Kaibel (p. 9) observat 'νόμον non solum id esse, quod publice νομίζεται, sed quod sibi quisque faciendum νομίζει', non habeo, cur dissentiam, quin etiam utrumque poeta et νόμον κοινοῦ auctoritatem et Antigonae ipsius sententiam propriam aptissime una illa voce complexus esse mihi videtur.

Et certe, quamquam per verborum constructionem versus deleri versumque 921 versui 904 subiungi posse demonstratum est (p. 9 sq.), tamen verisimillimum est Antigonam hoc ultimo loco, quo e vita discessura est, uberiora de iusto suo facto et sorte misera eaque immerita orationi inseruisse. Antigona enim per totam fabulam, ubicumque copia data est, rationes consilii sui repetere et iustum atque legitimum facinus se perpetrasse disertis verbis affirmare solet. Ismenam sororem, cum funeris sociam sibi conciliare vult eamque recusantem et opponentem se iure consilium persequi docere studet, diligentissime et de honoribus inferis praestandis monet (72 sqq.) et officia gentilicia praedicat (37 sq., 80 sq., 89). Ac postquam a custodibus in manifesto facinore comprehensa ad regem adducta est, Creonti puellae audacia obstupefacto et quaerenti (449) 'καὶ δῆτ' ἐτόλμας τούσδ' ὑπερβαίνειν νόμους;' nobilissimis illis verbis (450 sqq.) se Iovis Iustitiaeque leges et fratris gentisque suae iura tueri respondet. Quis credat hanc, quae suae utique agendi rationis quasi praeco est, virginem, dum extrema peroratur, non defendisse factum et causam suam iniuriamque sibi inlatam deplorasse? Immo necessaria et quam maxime Antigonae indoli idonea illa, quam v. 904-20 exhibent, argumentatio. Ergo verba, qualia sunt tradita, genuina et integra posse esse concedendum est. Et haec quidem de Kaibelii et Margranderi sententiis et observationibus, quibus id certo demonstratum atque exploratum est, summam argumentationis firmo stare talo neque esse causam, cur totos versus 905-20 ut Sophocle indignos vel rationis expertes resecemus. Restant tamen difficultates, quibus versus 905-7 laborant, quae quomodo nobis solvendae videantur, iam nostrum est explicare.

Bernhardus Erdmannsdörffer in elegantissima disputatione 'Das Zeitalter der Novelle in Hellas' inscripta (Berolini 1870), postquam fabulam Herodoteam de Intaphernis muliere rettulit, sic pergit (p. 42): „Die paradoxe Lösung eines schwierigen Dilemmas, diese überraschende Taxierung für die Affektionswerte der verschiedenen Verwandtschaftsgrade war ein neues und interessantes Aperçu über eine wichtige Seite menschlicher Beziehungen, und die Erzählung, welche dasselbe exemplifizierte, erregte gewiß die höchste Teilnahme. Es ist bekannt, wie auch Sophokles der Antigone eine Erwägung in den Mund legt, die sehr auffallend mit den Worten der Perserin bei Herodot übereinstimmt.... Gewiß ist es unrichtig zu sagen, daß diese Anschauungsweise eine der griechischen Sinnesart ganz naheliegende und natürliche sei und daß es deshalb nichts Auffallendes habe, wenn Sophokles sich in jenem Gedanken mit Herodot begegnete: als eine Paradoxie, als eine neue Auffassung des verwandtschaftlichen Verhältnisses erscheint jene Argumentation ebensosehr bei dem Dichter wie bei dem Geschichtsschreiber", quibus verbis haec in adnotatione auctor subiecit: „man muß den voraufgehenden Vers bei Sophokles beachten, der dies auch andeutet: um eines Gatten, oder meiner Kinder willen, sagt Antigone, würde ich dem Staat nicht getrotzt haben, aber um meines Bruders willen thue ich es — und dann der Selbsteinwand (v. 895): 'mit welchem Rechte aber darf ich dies aussprechen?' Hierdurch wird auf die folgende Argumentation als auf eine besonders zu bemerkende und eigentümliche mit Gewicht hingewiesen". Cui egregiae observationi alteram adicimus hanc: versus 904 καίτοι σ' ἐγὼ 'τίμησα τοῖς φρονοῦσιν εὖ vocula extrema ad verba proxime antecedentia referenda est; nihil enim est εὖ τιμᾶν, cum dici debeat δίκῃ τιμᾶν; contra dictio τοῖς εὖ φρονοῦσιν usitatissima est. Dicit autem poeta τοὺς εὖ φρονοῦντας nunc non benevolos homines sed eos, qui recte cogitant rerumque condicionem bene perspiciunt, quorum iustum iudicium vulgaribus opinionibus tacite opponit. Ipsa igitur propositione significavit singularem quandam insolitamque se argumentationem inituram esse. Ergo argumentationem Antigonae insolitam non modo pati, sed exspectare debemus, modo ne sit inepta. At est inepta quae legitur, quamvis similis mulieris Herodoteae verbis sit. Vivus enim, ut iam diximus, frater huius mulieris est, mortuus

Antigonae. Illa quae vult, ratione sua persequitur, haec verba inania facit. Iam oritur quaestio, quae causa ineptiae apud Sophoclem conspicuae sit; quam quaestionem ut profligemus, eam oportet excogitemus rationem, qua rationis insolentiam servemus, fugiamus ineptiam. Et sic dicimus Antigonam Sophocleam argumentatam esse: 'Attamen eis arbitris, qui recte iudicant, honoravi te iure. Honorare enim praeter ceteros fas est eos, quos carissimos habemus (propositio syllogismi); carissimi autem inter familiares ducendi sunt, qui amissi restitui vel recuperari nequeunt; atqui fratrem parentibus mortuis sorori recuperare non licet (sumptio bipertita): ergo ceteris cariorem illum soror habere debet et praeter ceteros honorare (conclusio). Hac ex lege quod te praeter ceteros honoraverim (ἐκπροτιμήσασ' ἐγώ 913), peccasse me Creo dicit'. Certe poeta plenum nunc et rotundum syllogismum Antigonam non fecit declamantem; quod posuit, erat ἐπιχείρημα, quem συλλογισμὸν ἀτελῆ singula tantum membra syllogismi continere notissimum est. Cuius si quaerimus quaenam membra servata sint, facile et conclusionem in v. 913 deprehendimus et versibus 909-12 πόσις μὲν ἄν μοι κατθανόντος ἄλλος ἦν — βλάστοι ποτέ assumptionis bipertitae partem alteram comprehendi perspicimus. Itaque versus 909-12, quod ad sententiam spectat, a suspicione adulterinae originis vindicavimus; quibus qui antecedit versus 908 τίνος νόμου δὴ ταῦτα πρὸς χάριν λέγω; eum genuinum esse non minus observatione illa Erdmannsdörfferi efficitur quam per se patet. Iam igitur res ad tres illos versus 905-7 rediit: quaeritur eisne ea contineantur, quae prioribus syllogismi illius membris respondeant, necne. Poeta in epichiremate, quod pro syllogismo eum posuisse consentaneum est, aut propositionem potuit abicere aut priorem partem assumptionis omittere, aut sententiam ambabus his ex partibus conflatam argumentationi praefigere. Versus 905-7 ad neutrum ex reliquis illis membris referri possunt neque sententiam argumentationi toti aptam praebent; ipsi enim ei sunt versus, quibus pro ratione insolita, qualem exspectamus, ineptae ar-

gutiae orationi Antigonae obtrudantur. Quod cum supra (p. 14 sqq.) persequebamur, simul ad pessimam v. 905 dictionis conformationem, ut quae balbutiente poetilla digna, indigna Sophocle videretur esse, animum advertimus. Nunc ne v. 907 βίᾳ πολιτῶν τὸν δ' ἂν ἠρόμην πόνον quidem graviore offensione addo carere. Etenim edictum illud, quod Antigona sepulto fratris cadavere laeserat, adeo non est populi, ut Haemo coram patre testetur ipsum populum ab Antigonae laesi edicti coargutae partibus stare. Non βίᾳ πολιτῶν, sed βίᾳ τυράννου vel βίᾳ Κρέοντος Antigona dicere debet. Neque patiar te obicientem βίᾳ πολιτῶν pro βίᾳ πόλεως et quasi generatim dicta esse. Edictum illud inhumanum tyranno digna, non civitate, quod ille solus, non civitas potuerit edere. Uni ergo tyrannico edicto Antigona potuit adversari, cum edictum, quo sepultura mariti liberorumque prohiberetur, neglegeret. Credo iam apparere versus 905-7 spurios esse, quos qui interpolavit, in locum eorum cedere iussit, quibus sententia argumentationi Sophocleae idonea continebatur.[1]) Atque certum vestigium inculcationis factae in ipso confinio genuinae et spuriae lectionis deprehendimus. Manca enim est dictio versus 904 καίτοι σ' ἐγὼ 'τίμησα τοῖς φρονοῦσιν εὖ, quibus in verbis cum εὖ ad τοῖς φρονοῦσιν referendum sit (cf. p. 23), desideratur ad verbum τιμᾶν notio ad totam argumentationem maxime necessaria, qua Antigonam iure fratrem sepelivisse indicetur. Quod virgo per totam suam ratiocinationem probare studet, se ex iusta lege fratri suprema solvisse, in propositione deesse non potuit. Ergo notio qualis δίκῃ γε elisa est, a qua is versus incipiebat, cuius pars posterior principium sententiae ab interpolatore eiectae continebat. Quae sententia quomodo a poeta conformata fuerit, nescitur, nisi quod e v. 909. 910 certe concluditur mariti liberorumque mentionem factam fuisse. Sed ut quid ego exspectem adumbrem, exempli gratia pro-

[1]) Quod suum gloriatur inventum egregium N. Festa (Atene e Roma 1903, 234), quo locum servet, in leges linguae Graecae peccat.

pono: (te honoravi) iure; nam pro fratre feminae subeunda sunt, quae nec pro marito nec pro liberis ipsis; carior enim est quam hi: τίνος νόμου δὴ ταῦτα πρὸς χάριν λέγω; Haec si comparaveris cum versibus traditis, facile cognosces, quo interpolatoris errore et consilio argumentationi ineptiae insertae sint. Ex nostra sententia cum Antigona generatim dicit pro fratre feminae facienda esse, quae ne pro liberis quidem, profert quae rationi toti aptissima sunt, quippe quae et de mortuis et de vivis et fratre et liberis dici potuerunt. Interpolator cum quae generatim dicenda fuerunt, ad ipsum Antigonae facinus unicum verbis τόνδ' ἂν ᾐρόμην πόνον (907) refringeret, sententiam pervertit; ineptiunt enim his insertis illa ὅστις ἂν βλάστοι ποτέ (912).

Ut finem faciamus: interpolati sunt v. 905-7 ab eo, qui quae Sophocles generatim explicaverat, ad unius fabulae nostrae ipsam actionem mutare studuit. Atque in similem modum Kaibel errasse videtur; nam v. 908-12 intellexit, quasi Antigona de sua erga suum fratrem caritate diceret, cum poeta virginem faceret generalem quandam rationem promentem, ad quam singuli necessitudinis gradus aestimandi sint. In eadem autem hac sententia Aristotelem versatum esse denuo acriter inspectis verbis illis, quae ex philosophi arte rhetorica supra (p. 12) exscripsimus, facile intelleges. Neque rescindentibus nobis versus illos 905-7 gravissimi testis auctoritas adversatur; hos enim versus non Aristoteles protulit; quos protulit, nos et ipsi tutati sumus.

II.

Kaibel unde lineamenta novae Antigonae imaginis eruerit eiusque indolem ac mores quomodo depinxerit, ut recte intellegamus, versibus 904-20 omissis quaestionem ita instituamus oportet, ut quae ratio intercedat Antigonam inter et Creontem, investigemus et quibus rationibus quodve praestando officium in deos inferos ac fratrem occisum et insepultum puella ad facinus suum impellatur, exploremus.

Atque ipso in prologo Antigona se fratri suprema soluturam esse deliberatum et certum habere aperit. Quod consilium colloquio cum Ismena sorore habito, qualem finxit poeta virginem fortem et constantem, tam prompte ac libenter tuetur, ut, postquam de scena decessit, cum Creonte rege eam conflictaturam esse non ignoremus. Iam prodit Creo ipse, ut civibus Thebanis se patriae saluti et rei publicae commodo prospecturum esse breviter et haud ambigue pronuntiet: civitatis inimicum pro sui ipsius inimicissimo se habere, quem iusta poena persecuturum esse; quapropter Polynici, qui contra patriam arma tulisset, funus fieri supplicio mortis proposito se vetuisse. Quo facto nihil dubii est, quin inter Creontem tyrannum et Antigonam filiam regiam in certamen eatur. Ac profecto Antigona fratris membris pulvere conspersis a custodibus deprehensa ad regem adducitur; perturbatur, effervescit, redurescit, mortem minitatur Creo, virgo resistit et obnititur et calamitatem atque interitum sibi ipsa consciscit. Quo in certamine si quaeris, quonam intendat, quo animo et consilio ita corroboretur

puella, ut Creonti regi repugnet et supplicium acerbissimum subeat, ita responsum parari Kaibel dicit, ut, quomodo virginem in regem contumaciter obsistentem fingere poetae placuerit, consideremus. Unde ratiocinatur hoc modo (p. 15): Antigona 'regis invisi edicto adversata est, quo fratri gentique suae omni iniuriam fieri sentiebat; adversatura etiam tum erat, si aliud quidlibet Creo iussisset quod suis gentilibus iniuriosum existimaret, non deorum legibus opitulatura, sed Labdacidarum honores a regis novicii impetu vindicatura . . .' Ubi primum enim Antigona domo egressa est, 'pro hoste habet', inquit Kaibel (p. 11), 'Creontem hostilique erga Oedipi prolem animo incensum cum vetuisse criminatur, ne Polynicis fratris corpus sepeliretur. odit hominem severum et iniustum (τὸν ἀγαθὸν Κρέοντα v. 31), non Labdacidarum sanguine editum, sed matris fratrem ideoque regio nomine non dignum (τὸν στρατηγόν vocat v. 8), certumque ei dudum est et deliberatum (v. 37) iniuriam et sibi et fratri factam ulcisci . . .' Et Creo ipse (p. 13) 'de Antigona haud dubie suspicatur, quam pro insita morum austeritate proque odio pridem concepto (cf. v. 10), cum praesertim inhonestata fratris memoria graviter offensa esset, rebellaturam esse credi poterat . . .' Hanc contemptionem, dicit Kaibel, hoc odium in Creontem cumulatum, hoc, quod per totam fabulam prae se fert, studium iura gentilicia a regis novicii impetu vindicandi evidentissime apparere ex eo, quod (p. 17) 'praesente modo Creonte tam dura tam fortis tam prompta ad moriendum videbatur virgo . . . iam sola relicta, dum in eo est ut in carcerem abducatur, infando pavore percussa vitae lucem et nuptiarum liberorumque spem relinquendam miserabili voce lamentatur. diu fortiter se coercuerat, primum ipsius facinoris conscientia elata, tum Creonte verita ne debilior videretur . . .' Quibus argumentis propositis vir doctissimus colligit (p. 20) non deis offensis opitulantem poetam finxisse Antigonam, sed suae gentis suique fratris iura a novicii regis usurpatione defendentem, quam sententiam versus finem dissertationis suae accuratissime his verbis

profitetur (p. 23): 'inter Creontem iuris publici vindicem et Antigonam iuris gentilicii patronam pugnatur.'

Magna et ingenii sagacitate atque sollertia et scribendi festivitate ac facilitate, quae probare sibi proposuit, Kaibelium tota fabula maximo cum studio ac diligentia perlustrata contexuisse, quis est qui neget? Sed dubito, num auctor, cum Antigonam non sanctissimas Iovis Iustitiaeque leges, sed fratris sui suaeque gentis iura defendere voluisse et propterea regi obstitisse contendat, et Sophoclis arti atque consilio et Antigonae ingenio satisfecerit. Dicit enim Kaibel nihil nisi speciem piae filiae sororisque Antigonam prae se ferre, nihil in ea esse in deos eorumque in leges sacras pietatis, nullum clementiae, nullum teneritatis vestigium. Iam ipso in prologo id luculenter apparere, cum (p. 10) 'Antigona festinanti passu excitatoque animo sororem trahens domo egressa exorditur:

ὦ κοινὸν αὐτάδελφον Ἰσμήνης κάρα,
ἆρ' οἶσθ' ὅ τι Ζεὺς τῶν ἀπ' Οἰδίπου κακῶν
ὁποῖον οὐχὶ νῷν ἔτι ζώσαιν τελεῖ;
οὐδὲν γὰρ οὔτ' ἀλγεινὸν οὔτ' ἄτης ἄτερ
οὔτ' αἰσχρὸν οὔτ' ἄτιμον ἔσθ', ὁποῖον οὐ
τῶν σῶν τε κἀμῶν οὐκ ὄπωπ' ἐγὼ κακῶν.

non narrantis', inquit Kaibel, 'vel deliberantis haec verba sunt, sed incusantis et acerbe litigantis. nihil quod ab Oedipi scelere derivari possit ipsis quantumvis insontibus Iovem reliqui fecisse, nihil quod doleat, nihil quod funestum, quod turpe, quod indignum sit, nihil ex his esse quin sibi pariter ac sorori a Iove in rationes inductum sit. fervet Antigona ira dolore odio, verbis utitur ferocibus iniquis impiis: 'nostro capite, inquit, cum solae superstites simus, patris culpam perlui dei voluerunt' . . . .' Nonne igitur, quaerit Kaibel, Antigona, quippe quae tanta cum ferocia et superbia totam suae miseriae culpam in Iovem conferat, omnem in deos reverentiam ac pietatem infitiata est, ita ut eam deorum legibus paruisse eorumque iura ab hominibus violata tui-

turam esse negare debeamus? Vereor autem, ne omnibus auctor persuaserit verba non nisi ex ipsius interpretatione intellegi posse. Nam si in prologo, ut ipse fatetur (p. 10), 'maxime solet poeta mores tales depingere quales esse debeant', Sophocles neutiquam ita rem debuit instituere, ut Antigonam suam tam improbam et odiosam et malignam induceret, ut iam ineunte fabula capitis poena digna videretur et spectatorum contemptionem invidiamque sibi contraheret. Immo vero nihil ei antiquius esse debuit, quam ut exponeret, quid in animo virgo volveret, qua constantia usa quaque incensa fortitudine firmum certumque haberet se consilium propositumque suum esse perfecturam. Quem animum promptum colloquio sequente Antigona magis magisque manifestat. Itaque meo quidem iudicio non tam 'incusantis et acerbe litigantis nec ferocia iniqua impia' sunt verba quam animi commoti et perciti et ad agendum parati. Deinde 'ipsis quantumvis insontibus Iovem' omnia illa mala intulisse Kaibel subintellegit, ut, unde illud hauserit, iure Bruhn[1] quaerat. Antigona potius se Labdacidarum sorte esse contactam fatoque in hanc necessitatem detrusam sibi consciam esse ipsa indicat (v. 2. 3):

ἄρ' οἶσθ' ὅ τι Ζεὺς τῶν ἀπ' Οἰδίπου κακῶν
ὁποῖον οὐχὶ νῷν ἔτι ζώσαιν τελεῖ;

Et haec est causa, cur non obloquatur, cum senes eius sortem ante oculos ponunt (855), sed, ut Kaibel ipse fatetur (p. 17), 'quod grave heredium a patre relictum accepisse dicitur, inde novam lamentandi causam repetit: a patris matrisque nefando coniugio omnia mala Labdacidarum domui nobilissimae orta esse, a fratris infaustis nuptiis sibi supplicium venisse (867).' Recte praeterea Bruhn monet, ne nimis cum hunc locum tum verba illa (2. 3):

ἄρ' οἶσθ' ὅ τι Ζεὺς τῶν ἀπ' Οἰδίπου κακῶν
ὁποῖον οὐχὶ νῷν ἔτι ζώσαιν τελεῖ;

[1]) l. l. p. 254.

urgeamus, in quibus si vertimus cum Kaibelio 'dic age, quodnam, dic quale tandem malum a nobis deus abstinuerit', gravissimum illud τῶν ἀπ' Οἰδίπου κακῶν neglegimus. Quid? Ismenam, quae ita se defendit, ut fratris manes, necessitati regioque imperio si ipsae paruerint, non fore iratos asseveret (v. 65 sqq.), virgo nonne respuit, non aperte indicat sese deorum religione obligatam fratris sepulturae pericula subituram esse (v. 73 sqq.):

φίλη μετ' αὐτοῦ κείσομαι, φίλου μέτα,
ὅσια πανουργήσασ', ἐπεὶ πλείων χρόνος,
ὃν δεῖ μ' ἀρέσκειν τοῖς κάτω τῶν ἐνθάδε.
ἐκεῖ γὰρ αἰεὶ κείσομαι. σοὶ δ' εἰ δοκεῖ,
τὰ τῶν θεῶν ἔντιμ' ἀτιμάσασ' ἔχε.

et (89): ἀλλ' οἶδ' ἀρέσκουσ', οἷς μάλισθ' ἁδεῖν με χρή ...?

Sed 'non deorum religionem profert', inquit Kaibel, 'non deorum poenas irasque metuit, sed quo timidum sororis ingenium moveri putat breviter et submaligne iacit 'vide num quae apud deos in honore habentur tibi vilia videri possint' ....' Tum vero, quae modo iam attigit, eadem virgo in manifesto facinore deprehensa apud Creontem quaerentem (v. 449): καὶ δῆτ' ἐτόλμας τούσδ' ὑπερβαίνειν νόμους;

liberrime profitetur (v. 450 sqq.): antiquas leges esse pie colendas, 'arbitraria novicii regis imperia nihil esse graviter iactat prae vetustis deorum legibus. deorum poenas aeternas magis se timere quam mortem tot malorum finem optabilem' (p. 14). Sed 'nimiam', disputat Kaibel, 'his verbis vim tribuerunt interpretes, qui totam fabulam in eo tamquam cardine versari contendebant ut Antigona sancti deorum iuris propugnatrix imperterrita summis laudibus celebraretur. non satis illi hoc attenderunt quod deorum leges aeternas propterea Antigona advocavit, ut cum novicia Creontis lege compararet, ut Creontis legem prae illis contemptu dignam notaret'. Denique ut ostendat, cur Antigona nonnisi fallacem speciem deorum legumque patronae sibi vindicet, in hunc

ferme modum ratiocinatur (p. 14) 'mentem virginis Creo perspexit, qui cum suam legem divinae legi contrariam defendere deberet, nihil nisi feram virginis adversus ipsum contumaciam incusat . . .'

Sed non video, quae possit excogitari causa, cur virginem eam, quae adhuc et postea integerrima animo et prompta ad id, quod propositum habuerat et susceperat et persolverat, hanc, dico, virginem non video cur arbitremur fallaciae personam induisse. Qui enim eam fingere liceat pietatem simulantem vel consilium facinusve tegentem, quam non est cur malignitate quadam corruptam vel pavore praepeditam habeamus? Immo vero iure exspectandum nobis est Antigonam duobus his locis, ubi et apud Ismenam dehortantem et Creontem expresse sciscitantem consilii et facinoris defendendi copia ei data erat, veritatem dicere nihil cunctatam esse. Deinde causa, cur Creo illas rationes ab Antigona allatas neque refutet neque curet, ex eo mihi petenda esse videtur, quod rex haud ignorans virginem iustae ac sublimi causae patrocinantem ex lite superiorem decessuram esse veretur, ne maiestas sua violetur et viri dignitas infringatur; nam ne mulier victrix de ipso triumphet, hoc metuit, hoc est quod aegerrime fert (cf. vv. 484 sq., 525, 578 sqq., 680, 740, 746, 756). Itaque in obstinatam obstinatum se praebet et adeo Antigonae argumentis non respondet, ut eam pervicacem et ferocem suis edictis refragari voluisse sumat eamque conviciis quam maximis consectetur (cf. vv. 478 sq., 491 sq., 571). Haud pauci sunt ei loci, quibus rex, quantopere contemptu vel ludibrio Antigonae inferorum cultus habeat, manifeste indicat, velut v. 524 sq.

κάτω νυν ἐλθοῦσ', εἰ φιλητέον, φίλει
κείνους · ἐμοῦ δὲ ζῶντος οὐκ ἄρξει γυνή.

vel v. 575

ᾍδης ὁ παύσων τούσδε τοὺς γάμους ἔφυ.

vel v. 653 sq.

ἀλλὰ πτύσας ὡσεί τε δυσμενῆ μέθες
τὴν παῖδ' ἐν ᾍδου τήνδε νυμφεύειν τινί.

vel vv. 777-780

κἀκεῖ τὸν ᾍδην, ὃν μόνον σέβει θεῶν,
αἰτουμένη που τεύξεται τὸ μὴ θανεῖν,
ἢ γνώσεται γοῦν ἀλλὰ τηνικαῦθ', ὅτι
πόνος περισσός ἐστι τἀν ᾍδου σέβειν.

Quid? Creo ipse his verbis nonne indicat Antigonam religione illius sanctissimi νόμου ἀγράφου ita teneri et pietate in deos inferos obligatam ita esse, ut fratris corpori iusta debita solvere conetur? Atque gravissimum fuisse apud Graecos officium inferias cum civibus tum propinquis gentilibus instituendi satis constat[1]; ipse vero Sophocles quanti hoc pium sepeliendi munus sit aestimandum, in Aiacis fabulae altera parte luculenter ostendit, cum Ulixem quamvis antea Aiacis inimicum, ut manibus illius iusta solvantur, suadentem facit (Ai. 1322 sqq., 1342 sqq.). Quare iure miraremur, nisi in Antigonae quoque fabula poeta praeclarissimae illi legi ac rationi patrocinari eiusque patronum quendam et vindicem inducere voluisset.

Sed mittamus omnia, quae ex ipsius Antigonae verbis cepimus testimonia: nihil valebit senum Thebanorum ratio, qui corporum sepulcro condendorum opus esse divinum censeant? Nam postquam custos nuntiavit pulvere insperso funus ab aliquo factum esse Polynici neque tamen vestigia adesse, unde de auctore facinoris suspicari liceret, statim deis intercedentibus corpori suprema facta esse praedicant (278 sq.):

ἄναξ, ἐμοί τοι, μή τι καὶ θεήλατον
τοὔργον τόδ', ἡ ξύννοια βουλεύει πάλαι.

Licet autem senum hic chorus pro placabili et ancipiti sua natura non audeat — sive dissentire a rege eique obloqui veretur sive expressis verbis civitatis legis patrocinium sus-

[1]) Accuratissime et copiose de hac re cf. E. Rohde, Psyche p. 200 sqq. R. Hirzel, ἄγραφος νόμος (Abhdl. d. phil.-hist. Klasse d. kgl. Sächs. Gesellsch. d. Wissensch. Bd. XX. 1900 p. 33). Wolff-Bellermann, Sophocles Antigone, Lpz. 1900 p. 6 sqq.

cipit — in universum Antigonae aperte adstipulari, tamen sub finem tragoediae Creontis rationes improbat et occasione oblata Antigonae eiusque causae amicum pronumque animum ostendit; quin etiam carmine admodum honorifico (817 sqq., 834 sqq.) multum splendoris in eam confert atque εὐσέβειαν illius (872) agnoscit.

Sequitur Tiresias vates, qui idem nobis quod chorus et Antigona testatur, cum nactum se esse refert infausta auspicia, quae deorum iram propter sepulturam Polynici denegatam portendant, suadetque regi, ut omnia procuret ad sepeliendum corpus (988 sqq.). Quod testimonium si Kaibel (p. 21. 22) ita infringere studet, ut contendat vatem non patrocinium virginis suscipere neque virginem ut deorum vindicem iniusto supplicio liberare neque curare Antigonam, quae, ut salva sit, scelesti patris filia non cupiat, nobis cum Bruhnio[1]) obvertere placet Tiresiam id non fecisse, quia Antigonae facinus improbat eiusque sortem neglegit, sed quia id ei ante omnia cordi curaeque est, ut dei Creontis nefario edicto irati placentur et civitas Thebanorum cadavere a canibus vulturibusque iam dilaniato polluta a piaculo servetur. Facile enim cognoscitur poetam Tiresia inducto id potissimum egisse, ut pervicacissimum et improbissimum hominem Creontem iudicemus eundemque temeritate quasi occaecatum in iram deorum delapsum esse persuasum nobis habeamus. Nam postquam vates deorum portentis indicatis regis rationem improbavit et ipsum a crudelitate dehortatus est, Creo ad hoc insolentiae progreditur, ut non solum vatem pecunia redemptum cum hostibus conspirasse et auspicia mentitum esse suspicetur, sed in ipsos deos convicia calumniasque coniectet. Antigonae autem patrocinium revera vates obtinet: an vero aliud eum facere credis, cum diligentissime admonet, ut Polynicis membra sepeliantur?

Postremus testis nec vero ultimus procedit Creo ipse. Non eum dico Creontem, qui in Antigonam saeviat, vatem

---

[1]) l. l. p. 255.

increpet, deos maledictis laedat, sed eum, qui deorum ominibus et Tiresiae obtestationibus ac minis monitus se sepultura Polynicis prohibita deorum leges atque instituta perfregisse sentiat; tum enim ipse profiteri non dubitat (1113. 1114):

δέδοικα γάρ, μὴ τοὺς καθεστῶτας νόμους
ἄριστον ᾖ σῴζοντα τὸν βίον τελεῖν.

Videmus ergo omnes personas unum idemque hoc sensisse: Antigonam iusta sepultura inferiisque Polynici debitis factis id ante omnia egisse, ut deorum voluntati ac legibus sive superorum sive inferorum satisfaceret et opere pie perfecto sacrum officium praestaret. Quare nulla adest causa, cur non summam vim tribuamus virginis ipsius cum aliis dictis (cf. vv. 74 sqq. 89. 519. 542 sqq.) tum gravissimis illis verbis (v. 450 sqq.:

οὐ γάρ τί μοι Ζεὺς ἦν ὁ κηρύξας τάδε,
οὐδ' ἡ ξύνοικος τῶν κάτω θεῶν Δίκη
τοιούσδ' ἐν ἀνθρώποισιν ὥρισεν νόμους.
οὐδὲ σθένειν τοσοῦτον ᾠόμην τὰ σὰ
κηρύγμαθ', ὥστ' ἄγραπτα κἀσφαλῆ θεῶν
νόμιμα δύνασθαι θνητὸν ὄνθ' ὑπερδραμεῖν.
οὐ γάρ τι νῦν γε κἀχθές, ἀλλ' ἀεί ποτε
ζῇ ταῦτα, κοὐδεὶς οἶδεν ἐξ ὅτου 'φάνη.
τούτων ἐγὼ οὐκ ἔμελλον, ἀνδρὸς οὐδενὸς
φρόνημα δείσασ', ἐν θεοῖσι τὴν δίκην
δώσειν. θανουμένη γὰρ ἐξῄδη, τί δ' οὔ;
κεἰ μὴ σὺ προυκήρυξας. εἰ δὲ τοῦ χρόνου
πρόσθεν θανοῦμαι, κέρδος αὔτ' ἐγὼ λέγω.
ὅστις γὰρ ἐν πολλοῖσιν, ὡς ἐγὼ, κακοῖς
ζῇ, πῶς ὅδ' οὐχὶ κατθανὼν κέρδος φέρει;
οὕτως ἔμοιγε τοῦδε τοῦ μόρου τυχεῖν
παρ' οὐδὲν ἄλγος· ἀλλ' ἄν, εἰ τὸν ἐξ ἐμῆς
μητρὸς θανόντ' ἄθαπτον ἠσχόμην νέκυν,
κείνοις ἂν ἤλγουν· τοῖσδε δ' οὐκ ἀλγύνομαι.
σοὶ δ' εἰ δοκῶ νῦν μῶρα δρῶσα τυγχάνειν,
σχεδόν τι μώρῳ μωρίαν ὀφλισκάνω.

quibus quo animo et consilio facinus aggressa esset, liberrime professa se in deos eorumque leges aeternas piam et oboedientem praebet. Unde recte mentem et rationem virginis perspexisse nobis videmur, cum contendimus primariam causam, qua sit ad pium officium persequendum impulsa, eam fuisse, ne sacra Iovis iura laederentur neve leges de iustis mortuorum persolvendis infringerentur. Neque tamen egregia observatione Kaibeliana sua laude fraudemus: non negamus Antigonam gentis suae rationem habere voluisse, sed hoc dicimus, primariae illi causae non nisi secundariam, qua eadem ad capitis periculum subeundum confirmata et corroborata est, eam accessisse, ne gentiliciam suam pietatem erga fratrem, ultimum Labdacidarum prolem, violaret neve gentilia iura imminui aut in gentem suam infaustam nova funesta dedecora et infortunia cumulari pateretur. Quas duas causas maxima necessitate inter se cohaerere patet. Nam Antigona deorum leges cum defendit, simul defendit fratris, et cum fratris iura obtinet, simul gentis suae obtinet iura; in idem haec duo officia cadunt.

Quae si recte a nobis disputata sunt, Kaibel, qui in Antigonae consiliis et factis gentilicium officium plus valuisse ratus sit quam pietatem in deos, ita modum excessisse videtur, ut ex Antigonae rationibus argumentisque alterum, quod secundarium habendum est, in maius extolleret primoque loco poneret, alterum primarium reprimeret vel adeo neglegeret; quo factum est, ut vir egregius fabulae indolem totam summamque eius sententiam plane permutaret. Nam aliam virginis regiae aliamque tyranni indolis imaginem sibi effinxit ac viri docti ad hoc temporis conformare consueverunt, eandemque aliam ac nos iudicamus poetam ipsum delineatam voluisse. In hoc autem Kaibelii error quasi manifesto deprehenditur. Quoniam inter Antigonam et Creontem certatur, fieri non potest, quin quo magis hunc nobis Kaibel in gratiam adducere eiusque acerbitatem mitigare studet, eo in maiorem invidiam et contemptionem illa cedat, et quo acrior propugnatrix fratris gentisque suae et regis

adversaria virgo evadit, quoque iniquius inde de Antigona eiusque rationibus Kaibelio iudicium facere placet, eo in altiorem favorem et honestatem rex apud spectatores ascendat, ut denique boni regis exemplum egregium potius praebeat Creo quam tyranni odiosam et contemptam speciem, qualem Sophocles, ut erat homo vere Atheniensis, describere solebat.

Maximi igitur nobis est momenti cum exquirere et describere, quae propria et vera sint Creontis, quae Antigonae ingenia et mores, tum perpendere et indagare, poeta quale iudicium voluerit auditores ferre de homine edicti ferocis auctore ac severae dominationis exsecutore, quale de virgine Iovis Iustitiaeque vindice atque gentilicii iuris patrona. Atque Creontis indolem — licet hic oratione illa solemni (162 sqq.) apud Thebanorum proceres novum regnum inauguraturus rem publicam strenue se administraturum salutique civium prospecturum esse proclamet — procedente fabula Sophoclem ita effingere voluisse apparet, ut auditoribus suis odiosam tyranni imaginem praeberet. Satis enim redolent invisam tyrannidem illa verba (734):

πόλις γὰρ ἡμῖν, ἁμὲ χρὴ τάσσειν, ἐρεῖ;
(736) ἄλλῳ γὰρ ἢ 'μοὶ χρή με τῆσδ' ἄρχειν χθονός;
(738) οὐ τοῦ κρατοῦντος ἡ πόλις νομίζεται;
(vel 478 sq.) οὐ γὰρ ἐκπέλει
φρονεῖν μέγ' ὅστις δοῦλός ἐστι τῶν πέλας.

Quanta autem arrogantia in cives invehitur, qui prae summo timore ora occlusa tenent (505), cum omnes secreto atrox eius edictum condemnent (690 sqq.)! Quantis conviciis, quanta cum acerbitate in principum Thebanorum chorum increpat, qui modeste sententiam suam proferre ausus erat (280 sqq.)! Quid? quod ad tantam pervicaciam, malitiam, immanitatem procedit, ut sanctissimis naturae legibus neglectis filii sui ingenui adhortationibus nihil mitigatus Antigonam virginem necem in atrocissimam demittere non dubitet et ne ea quidem re a proposito depellatur, quod Haemo se

sibi manus illaturum esse minitatur (751. 762). Singulare vero ac proprium tyranni ingenium inde cognoscas, quod Creo sui arbitrii suaeque rationis fiducia elatus (162 sqq.) cuiusvis alienae voluntatis atque consilii impatiens est. Quare haud ignorans se Polynicis funere interdicto modum excessisse tamen nec flecti nec cedere vult. Itaque argumenta rationesque, quas Antigona, ut factum suum defendat, quas Ismena Haemo Tiresias Thebani senes, ut regem dehortentur vel permulceant, proferunt, neque curat neque refutat, sed potius ira aut suspicione captus (280 sqq. 473 sqq. 524 sqq. 1033 sqq.) magis magisque incalescens iniquis illos contumeliis obruit, acerbis conviciis consectatur (cf. v. 478 sq. 495. 569. 571.), denique statim fieri iubet, quae ipsi placuerint iubere acerrima.

Quos colit deos inferos Antigona, contemnit Creo et ludibrio habet (cf. v. 575. 653 sq. 777 sqq.); et Tiresiae, qui deorum portenta nuntiat, fidem abrogat omnemque in deos reverentiam et verecundiam neglegit atque exuit (1040-1044). Aegerrime fert, quod a muliere sibi repugnatur, quo certamine et suam maiestatem et viri dignitatem violatam et in discrimen adductam esse opinatur (484):

ἦ νῦν ἐγὼ μὲν οὐκ ἀνήρ, αὕτη δ' ἀνήρ,
εἰ ταῦτ' ἀνατὶ τῇδε κείσεται κράτη.
(525) ἐμοῦ δὲ ζῶντος οὐκ ἄρξει γυνή.
(680) κοὐκ ἂν γυναικῶν ἥσσονες καλοίμεθ' ἄν.
(578 sq.) ἐκ δὲ τοῦδε χρὴ
γυναῖκας εἶναι τάσδε μηδ' ἀνειμένας.

Denique Haemoni crimini dat, quod cum muliere consilia rationesque iunxerit (cf. vv. 740. 746. 756). Quocumque igitur modo Creo dominum severum, pertinacem, superbum, imperiosum se praebet. Hinc quamnam credis homines Athenienses imaginem Creontis effingere sibi debuisse? Certo tyranni propter superbiam atque impietatem invidiosi. Atqui Atheniensibus Sophocles fabulam fecit et docuit. Ergo aut pessimus fuit poeta, qui cum bonum strenuumque regem effingere vellet,

eum repraesentaret virum, quem populares tyrannum iudicare deberent, aut ipse voluit Creontem intellegi tyrannum, qualis liberis Atheniensibus utique odio erat.

Iam ad Antigonam veniamus. Quantum Creontis causa cadit, tantum Antigonae proficit. Atque ceterae fabulae personae ut avertuntur a rege et alienantur, ita virginis parti favent. Etenim Ismena et Haemo, quorum altera Antigonae sorori e contrario est opposita, alter Creonti patri, plurimum ad Antigonae causam concelebrandam conferunt. Nam illa, quamquam ab initio inceptum Antigonae exitiosum horruit, postea sorori sese applicare et morti offerre cupit (544. 545); hic quamquam animo se patri addictum esse declarat (635 sqq.) et oboedientiam summam esse virtutem profitetur (vv. 683 sqq.), tamen, cum patrem a pertinacia avocare nequeat, ita Antigonae sponsae eiusque causae superiori adhaeret, ut fidem et constantiam caede sua confirmet. Et vocem populi dei esse aiunt. Gloriosum enim virginis facinus a civibus omnibus existimari neque quemquam esse, qui arbitrariam regis violentiam probet, Haemo testatur atque confirmat (692-700, 733). Quare fit, ut postremo omnes in virginis consilio et facinore probando et in Antigona ut patrona Iovis Iustitiaeque legum et vindice concelebranda et condecoranda congruant summasque in eam laudes conferant. Neque ita virginem poeta finxit, ut omnes in honorem laudemque eius consentire mireris; immo forti excelso integro liberali ingenuo animo suam voluit esse Antigonam. Cuius fortitudo et animi altitudo optime Ismenae sororis cauta sobrietate et anxio timore illustratur. Altius enim exsplendescit eius virtus, quae sola et sine socio facinus suum suscipiat. Neque quidquam in perficiendo illo officii munere Antigona admittit, quod eius integritati officiat: irascitur sorori, quae studeat probare illo officio supersedere sibi licere, sive quod femina sit (61 sqq.), cuius non sit reniti viris, sive quod inferi facile veniam daturi sint (65 sqq.). Huius modi dubitationes vel perfugia iusto odio excelsa puella exagitat et respuit. Eandem ingenii liberalitatem atque ingenuitatem

virgo conscientia honestissimi facinoris erecta praestat, cum pulvere iam corpori insperso denuo funus invisit et denudatum iterum adspergit (443. 450 sqq.). Quo facto postquam comprehensa est, adeo non poenam aufugere studet aut facinus suum tegit, ut id aperte et ingenue fateatur.

Denique haec, quae de personarum indole earumque de condicione disputavimus, non falsa esse poeta ipse testatur idque duplici testimonio, cum et in universum tragica momenta Antigonam inter et Creontem ita dispertiret nodumque quem dicunt totius fabulae ita solveret et singulis sententiis dictisque appositis potissimum versus exodum fabulae suam ipse sententiam ita profiteretur, ut qualem Creontem ab auditoribus voluerit acceptum, qualem Antigonam, mihi quidem nullo modo dubitari posse videatur. Quod dico hoc est. Ad veterum iudicum de arte tragica rationem et doctrinam partes personarum tragicarum exigendae sunt; qua ex doctrina tragica ita fit actio, ut una ex fabulae personis in certas leges et normas, quibus hominum vita res cogitationes comprehenduntur et constituuntur, graviter peccet commissique vitii vel erroris poenas suis mutatis rebus et plane eversis vel adeo suo ipsius interitu luat, denique e summae fortunae fastigio in imum infortunium proripiatur. Hoc fit in Creonte, non in Antigona; filio ac muliere mortuis e tyranno, qui novi regni potestate elatus superbit, miser fit et abiectus; luit enim impii pertinacisque animi poenas. Ille Creo persona est vere tragica, non Antigona. Quod vero Antigona moritur, id poeta non ideo excogitavit, ut eam culpae revera obnoxiam esse significaret: moritur non sua culpa, sed Creontis; fert quae fert, non quia ipsa peccavit, sed quia in ipsam peccat Creo; ea enim facere eam vetat, quae vetare nefas, quae facere erat ius atque fas. Atque haec sunt, quae e totius fabulae dispositione ac rerum personarumque vicibus conclusimus; ipse vero poeta interpositis dictis plurimis neque eis ambiguis indicavit, qualem ipse ut ita dicam statum quaestionis sibi finxerit. Suprema quae facit Antigonam edentem verba, vociferatione comprehenduntur

virginis lamentantis, quod moriatur τὴν εὐσεβίαν σεβίσασα (943). Contra audiamus, quae Creo de filii morte certior factus conclamat vv. 1261. 1262:

ἰὼ φρενῶν δυσφρόνων ἁμαρτήματα
στερεὰ θανατόεντ',

et vv. 1265-1269:

ὤμοι ἐμῶν ἄνολβα βουλευμάτων.
ἰὼ παῖ, νέος νέῳ ξὺν μόρῳ
αἰαῖ αἰαῖ,
ἔθανες, ἀπελύθης,
ἐμαῖς οὐδὲ σαῖσι δυσβουλίαις.

quibus adstipulatur chorus v. 1270

οἴμ', ὡς ἔοικας ὀψὲ τὴν δίκην ἰδεῖν,

atque iterum tyrannus ipse se accusat vv. 1317-1325

ἰώ μοι, τάδ' οὐκ ἐπ' ἄλλον βροτῶν
ἐμᾶς ἁρμόσει ποτ' ἐξ αἰτίας.
ἐγὼ γάρ σ' ἐγὼ ἔκανον, ὢ μέλεος
ἐγώ, φάμ' ἔτυμον. ἰὼ πρόσπολοι,
ἄγετέ μ' ὅ τι τάχιστ', ἄγετέ μ' ἐκποδών,
τὸν οὐκ ὄντα μᾶλλον ἢ μηδένα,

iterumque chorus, quem in fine totius fabulae ipsius poetae sententiae patrocinari consentaneum est, vera quae in se ipse coniectet Creo crimina esse testatur ultimis fabulae versibus.

Differunt igitur ac discrepant, quae modo de Creontis et Antigonae vera indole et consiliis secundum ea, quae poeta ipse aut significavit aut clare pronuntiavit, adumbravimus et statuimus, ab imagine ea, quam Kaibel suo arbitrio sibi informare conatus est. Cuius rei causam ex eo tantum petendam esse arbitramur, quod vir doctissimus Labdacidarum filiam nihil aliud voluisse contendit, nisi ut gentis suae fratrisque causa supplicium subierit et uni intenta gentilicio officio ita insolentia esset incensa et referta, ut in certamen cum Creonte tyranno descenderet et iniuriam

sibi fratrique factam ulcisceretur. Certe nimis urgebat Kaibel gentiliciam illam virginis religionem ac pietatem; at vero tantum abest, ut interpretatione hac admodum arguta ac fere opinosa offensus egregii viri laudi obtrectem, ut libere profitear ipsum Kaibelium, cum vestigia gentiliciae illius pietatis in Antigona conspicuae sagacissime investigaret et acerrime premeret, veram demum viam nobis aperuisse, qua sola profectis nobis ad plenam cognitionem artis rationisque in componenda fabula a poeta adhibitae pervenire liceat. Sententiae enim suae argumenta rationesque unde Kaibel hauserit, si quaerimus, virum egregium invenimus cum in ceteris Antigonae factis dictisque gentilicia superbia plenis quasi offendisse tum in eo, quod virgo tyranno contumaciter obloquens audaciam ac fortitudinem pro muliere maiorem prae se fert.

Et certe mirum est, quod poeta Antigonam ut feminam divinas leges defendentem, ut virginem cum tyranno pugnantem fecit. Sepulturam enim et ultionem fratris persequi publico violato edicto omnino non convenit Graecae mulieri nedum virgini, quam e Graecorum more et institutis in vitae publicae negotiis versari haudquaquam decebat. Unde facile accipitur, cur, cum Antigona deprehensa adducitur, rex admiratione obstupefactus ab custode iterum iterumque, num in errore versetur, quaerat (401. 403. 406). Vidimus iam supra (p. 32. 38), quam inique ferat, et quod cum muliere sibi sit contendendum vel etiam ei cedendum (484. 525. 680), et quod Haemo suo in patrem officio virginis causam anteponat illiusque patrocinium suscipiat (740 sqq.). Cuius rei rationem habet etiam Ismena diligentissime dehortatura (61 sq.):

ἀλλ' ἐννοεῖν χρὴ τοῦτο μέν, γυναῖχ' ὅτι
ἔφυμεν ὡς πρὸς ἄνδρας οὐ μαχουμένα·

Eadem in Electra fabula Sophoclea (v. 997 sq.) Chrysothemis Electram sororem monet:

γυνὴ μὲν οὐδ' ἀνὴρ ἔφυς,
σθένεις δ' ἔλασσον τῶν ἐναντίων χερί.

Quare quae aliter se gerit, mores legesque ipsa natura mulieribus constituta insolenter laedit. Iniquitatis etiam opprobrio Antigonae dicunt esse vertendum, quod Ismenam, quae primum illius sorte sollicitatur sororemque a proposito temerario et capitali avocare studet, ignaviae atque impietatis coarguit (76. 77) et postea, ubi illa sociam consilii atque supplicii se adiungere mortemque voluntariam una cum sorore oppetere vult (cf. 536), indignabunda a societate secludit (cf. 538 sqq.). Manifesta est illa ferocitas, qua coram Creonte nimis ipsa sese efferre videtur

v. 443 καὶ φημὶ δρᾶσαι κοὐκ ἀπαρνοῦμαι τὸ μή.
v. 448 ᾔδη· τί δ' οὐκ ἔμελλον; ἐμφανῆ γὰρ ἦν,

adeoque ludibrio illum exagitat; acerbissima enim sunt illa verba (469. 470):

σοὶ δ' εἰ δοκῶ νῦν μῶρα δρῶσα τυχάνειν,
σχεδόν τι μώρῳ μωρίαν ὀφλισκάνω,

ita ut etiam chorus perterritus atque offensus fateatur (471. 472):

δηλοῖ τὸ γέννημ' ὠμὸν ἐξ ὠμοῦ πατρὸς
τῆς παιδός· εἴκειν δ' οὐκ ἐπίσταται κακοῖς.

Quae cum ita sint, non mirum est, quod et fuerunt iam ante Kaibelium et post Kaibelium sunt, qui virgini huic molliores animi motus et naturam, quales puellam deceant et maxime condecorent, denegent atque poetae opprobrio vertant, quod Antigonae suae ingenium virile, quale feminam Graecam dedeceat, tribuerit; neque nos negamus talia a moribus et indole feminae, quae una est e multis, plane abhorrere. Sed Antigona poetae non erat ex gente multarum illarum: Labdacidam eam voluit esse et sororem erga fratrem piam. In hoc enim cardo totius quaestionis verti videtur. Singularem autem artem vel, ut rectius dicamus, peculiare artificium, quod Sophocles hac componenda fabula persequi studuit, id erat, ut non viro sed feminae, non feminae sed virgini leges divinas defendendas traderet. Partes hae sunt viriles, quas puellae sustinendas ille non potuit tradere nisi singularibus et novis et

quasi inauditis accedentibus condicionibus. Quod nulla mulier ausa esset, hoc vel puellam poeta potuit facere intercipientem, si quidem stimulos, quibus fortiores cogitari fere nequeunt, animo illius admovit simulque eam imbuit eis virtutibus ac proprietatibus, quarum eam per genus suum et sanguinem non expertem fuisse credibile sit. Creonti adversatur Antigona, quia leges divinas laedi non patitur: hoc primarium est; puella autem regi potuit omnino tam fortiter ac vehementer obniti, quia pietas erga fratrem animum illius pungebat, nervos omnes intendebat, robur praeter muliebrem naturam augebat. Ergo poeta totam Antigonae personam auditori vel lectori fabulae verisimilem reddere ita studuit, ut amore gentilicio vim resistendi et excitatam et corroboratam in puella faceret. Nec vero potuit partes has cuilibet de plebe puellae tradere, nisi ea, quae modo credibilia excogitaverat, veri dissimilia reddere voluit: sed Antigonam Labdacidam, Oedipi filiam patris ingenii simillimam, potuit inducere adeo amore odioque inflammatam, ut divini humanique iuris defendendi ministerium persequeretur. Agit igitur Antigona quod agit, pietate erga deos eorumque leges aeternas commota; nec vero poterat quod instituerat agere ac perficere, nisi pietate erga fratrem excitata animum viresque femineo sexu superiores sumpsisset. Quodsi Antigonae ratio agendi et dicendi neglecto hoc, quo ad sublime officium suum corroboratur, pietatis gentiliciae momento recte intellegi omnino nequit, summa laude Kaibelium impertiamus oportet, qui dedita opera primus ad hoc momentum animadverterit.

VITA.

Nicolaus Schneider natus sum Ioanis Petri, quem nuperrime morte ereptum doleo, filius, matre Anna Maria e gente Mueller, in vico Eifliae prope Dunam oppidulum sito, cui nomen est Rengen, a. d. III. Kal. Nov. anni MDCCCLXXVII. Fidem profiteor catholicam. Litterarum primordiis domi imbutus tempore paschali anni MDCCCXCII in tertium ordinem gymnasii Prumiensis, quod tunc J. Asbachio directore florebat, discipulus receptus sum. Maturitatis testimonio, quod dicunt, instructus a. MDCCCXCVIII in seminarium Treverense me contuli philosophicis potissimum studiis per annum navaturus. Deinde ad Monasterii academiam (iam universitatem) transii, ubi in civium academicorum numerum receptus philosophiae ordini adscriptus sum. Bis sex mensibus post deinceps Oenipontem et iterum Monasterium profectus sum; tum autumno a. MCMI almam Argentinensem petivi, ubi per sexies sex menses studia colui. Docuerunt me vv. dd. Monasterii Hagemann, Hosius, Jostes, Kappes, Koepp, Niehues, Sonnenburg, Spicker, Stahl, Storck, Streitberg; Oeniponte Hillebrand, Mueller, Pastor, Stolz, Wackernell; Argentorati Baeumker, Bloch, Keil, Michaelis, Neumann, Plasberg, Reitzenstein, Schwartz (nunc Gottingensis), Thraemer, Windelband (nunc Heidelbergensis), Ziegler. Et Argentorati exercitationibus me admiserunt philosophicis Windelband, historicis Bloch, Keil, Neumann, numismaticis Thraemer. Seminarii philologici ut per tria semestria sodalis ordinarius essem, benignissime permiserunt Keil et Reitzenstein. Omnibus his viris doctissimis semper maximam habebo gratiam, inprimis Brunoni Keil, cuius consiliis et auctoritate in hac dissertatione conficienda quantum vellem uti mihi licuit.
